

ria vel interpretatio tropica, nisi vbi in alio loco expresse ponitur negatiua vt propositionem hanc: „Si oculus tuus offendit te, eruas eum“¹⁶⁵ metaphorice intelligimus, quia expresse dicitur: „Non occides.“¹⁶⁶ Sed in tota scriptura nusquam extat negatiua huius propositionis: „Panis est verum corpus.“ Ergo propositio accipienda est sine tropo. III. Paulus in narratione historiae miro consensu retinet phrases euangelistarum, exponens propositiones illas, ait, panem esse corpus Christi communicatum seu distri-⁵ butum, ait incredulos fieri reos corporis Christi, ait eos non discernere corpus domini. Ergo significat praesens esse verum corpus.¹⁶⁷ IIII. Citantur testimonia veteris ecclesiae, et recens inuentum est pharmacum valde placidum et blandum,¹⁰ vnum ex illis quae nominantur ἥπια: Ecclesia vetus iam tempore Antoninorum¹⁶⁸ accusata fuit de ἀνθρωποφαγία occasione sumpta a coena. Spargebatur enim conuenire homines ad nocturna conuiuia, in quibus proponatur voranda caro humana et gustetur sanguis humanus in signum coniurationis, quale nimirum fuit conuiuium Catilinae. Huic tam atroci criminationi vbi¹⁵ respondent veteres nequaquam negant se manducare corpus Christi aut bibere eius sanguinem, sed tantum addunt hoc fieri in mysterio modo videlicet incomprehensibili non visibiliter.¹⁶⁹ V. Expresse veteres panem et vinum nominant corpus et sanguinem Christi, sicut infinita sunt testimonia.¹⁷⁰ VI. Expresse etiam statuunt duplicem manducationem, sacramentalem et spiritu-²⁰ alem, duplicem etiam communicationem cum Christo, spiritualem et corporalem, et hanc dicunt contrahi in coena mystica. VII. Testantur historiae veteres in administratione coenae ante verba institutionis et communionem diaconos, catechumenos templo remouisse, ne interessent his arcanis mysteriis. Quare constat eos censuisse proponi rem arcanam, quae non recte in²⁵ stitutos posset offendere. VIII. Confessio Augustana manifeste affirmat vescentibus in coena exhiberi corporaliter verum corpus et sanguinem.¹⁷¹ Haec sunt praecipua argumenta meo iudicio et ne callide agere videat, optarim indicari ab ipsis, si qua habent meliora, quae ego non inuenio. Vbi vero deinde modum praesentiae constituunt, aliqui propter personalem vel hypo-³⁰ staticam vnionem duarum naturarum in Chri-[54:]sto vel communicationem idiomatum vt nominant physicam et realem docent, Christum secundum vtramque naturam esse vbique et, qui contra sentiunt, eos dicunt facere dis-

¹⁶⁵ Mt 5,29; 18,9.

¹⁶⁶ Ex 20,13; Dtn 5,17.

¹⁶⁷ Vgl. I Kor 11,23–29.

¹⁶⁸ Als „Antonine“ bezeichnet man die römischen Kaiser mit dem Beinamen Antoninus, die von 138–192 n. Chr. die Macht innehatten. Vgl. hierzu Werner Eck, Art. Antonine, in: NP 1 (1996), 801f.

¹⁶⁹ Vgl. hierzu etwa Justin, Apologia LXXVI, in: PG 6, 428f (PTS 38, 127,1–128,20).

¹⁷⁰ Vgl. etwa Hieronymus, Epistula CXX, 2, in: PL 22, 985f (CSEL 55, 479,13–22).

¹⁷¹ Vgl. CA X, in: BSLK 64,1–8.